bat. Puerilia sunt hec et circulatorum ludo similia docere quod ignores, immo et ut cum stomacho loquar, nec hoc quidem scire quod nescias. vii.

VII Videlicet manifestissima est genesis, de qua de exordio mundi, de exordio generis humani, de divisione terre, de confusione linguarum et gentium, usque ad egyptum scribitur hebreorum. Patet exodus cum decem plagis, cum decalogo, cum misticis divinisque preceptis. In promptu est leviticus liber, in quo singula sacrificia, immo singule pene sillabe, et vestes aaron et totus ordo leviticus spirant celestia sacramenta. Numeri vero nonne totius arithmetice et prophetie balaam et quadraginta duarum per heremum mansionum misteria continent? Deuteronomium quoque secunda lex et evangelice legis prefiguratio nonne sic ea habet que priora sunt, ut tamen nova sint omnia? Hucusque moises, hucusque pentateuchus, quibus quinque verbis loqui se velle apostolus in ecclesia gloriatur. Iob exemplar patientie, que non misteria suo sermone complectitur? Prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur, omnesque leges dialetice propositione, assumptione, confirmatione, conclusione determinat. Singula in eo verba plena sunt sensibus. Et ut de ceteris sileam, resurrectionem corporum sic prophetat ut nullus de ea vel manifestius vel cautius scripserit. Scio, inquit, quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo deum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Reposita est hec spes mea in sinu meo. Veniam ad ihesum nave typum domini non solum in gestis, verum etiam in nomine. Transit iordanem, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, et per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes atque confinia ecclesie celestisque ierusalem spiritualia regna describit. In iudicum libro quot principes populi, tot figure sunt. Ruth moabitidis ysaie explet vaticinium dicentis: Emitte agnum domine dominatorem terre de petra deserti ad montem filie sion. Samuhel in hely mortuo et in occisione saul veterem legem abolitam. Porro in sadoch atque david novi sacerdotii novique imperii sacramenta testatur. Malachim, id est regum tertius et quartus liber, a salomone usque ad iechoniam, et a ieroboam filio nabath usque ad osee qui ductus est in assirios, regnum iuda et regnum israhel describit. Si historiam respicias, verba simplicia sunt; si in litteris sensum latentem inspexeris, ecclesie paucitatem et hereticorum contra ecclesiam bella narrantur. Duodecim prophete in unius voluminis angustias coartati multo aliud quam sonant in littera prefigurant. Osee crebro nominat effraim, samariam, ioseph, iezrahel, et uxorem fornicariam et fornicationis filios et adulteram cubiculo clausam mariti multo tempore sedere viduam et sub veste lugubri viri ad se reditum prestolari. Iohel filius fatuhel describit terram duodecim tribuum eruca, brucho, locusta, rubigine vastante corruptam, et post eversionem prioris populi effusum spiritum sanctum super servos dei et ancillas, id est super centum viginti credentium nomina, qui effundendus erat in cenaculo sion; qui centum viginti ab uno usque ad quindecim paulatim et per incrementa surgentes quindecim graduum numerum efficiunt, qui in psalterio mystice continentur. Amos pastor et rusticus et ruborum mora distringens paucis verbis explicari non potest. Quis enim digne exprimat tria et quattuor scelera damasci, gaze, tyri et ydumee et filiorum amon et moab, et in septimo octavoque gradu iude et israhel? Hic loquitur ad vaccas pingues que sunt in monte samarie, et ruituram domum maiorem minoremque testatur. Ipse cernit fictorem locuste et stantem dominum super murum litum vel adamantinum, et uncinum pomorum attrahentem supplicia peccatorum et famem in terram, non famem panis neque sitim aque, sed audiendi verbum dei. Abdias, qui interpretatur servus domini, personat contra edom sanguineum terrenumque, fratris quoque iacob semper emulum hasta percutit spirituali. Ionas, columba pulcherrima, naufragio suo passionem domini prefigurans, mundum ad penitentiam revocat, et sub nomine ninive salutem gentibus nuntiat. Micheas de morasthi coheres christi vastationem annuntiat filie latronis et obsidionem ponit contra eam, quia maxillam percusserit iudicis israhel. Naum, consolator orbis, increpat civitatem sanguinum, et post eversionem illius loquitur: Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem. Abacuch, luctator fortis et rigidus, stat super custodiam suam et figit gradum super munitionem, ut christum in cruce contempletur et dicat: Operuit celos gloria eius, et laudis eius plena est terra. Splendor eius ut lux erit, cornua in manibus eius; ibi abscondita est fortitudo eius. Sophonias speculator et archanorum domini cognitor audit clamorem a porta piscium et heiulatum a secunda et contritionem a collibus. Indicit quoque ululatum habitatoribus pile, quia conticuit omnis populus canaan, disperierunt universi qui involuti erant argento. Aggeus festivus et letus, qui seminavit in lacrimis ut in gaudio meteret, destructum templum edificat, dominumque patrem inducit loquentem: Adhuc unum modicum, et ego commovebo celum et terram, mare et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus. Zacharias memor domini sui, multiplex in prophetia, ihesum vestibus sordidis indutum et lapidem oculorum septem candelabrumque aureum cum totidem lucernis quot oculis, duas quoque olivas a sinistris lampadis cernit